



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Svbdiaconvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

entibus, in quantum procedit ex radice charitatis, qua faciens suffragium meretur vitam eternam sibi. Quomodo vnus pro alio satisfacere potest, supra, indulgentia, §. 19.

SVFRAGIA à peccatore facta pro sunt mortuis, quantum ad ipsum opus operatum, id est, quantum ad efficaciam, quam habent ex se, & quantum operans operatur in persona ecclesie, vel vt alterius instrumentum: & inter suffragia pro mortuis magis proficit missa, nihil de conse. dist. 2. & Tho. 4. sent. supra, & Pet. de pal. Secundò, eleemosyna. Tertio, oratio. Quarto, ieiunium. c. animarum defunctorum .13. questio. 2. Quomodo eleemosyna sit magis satisfactoria, supra, Eleemosyna §. 13.

QVI multos recipit ad participationem suorum honorum, licet mereatur, quia ex charitate hoc facit, tamen quò ad expirationem pœnæ, sunt ibi minus utilia sua bona de rigore iustitiæ, sed fortè Deus ex sua misericordia facit, quod etiam pro se satisfaciunt, hoc autem incertum est.

DICERE missam de mortuis, vel de aliquo sancto pro mortuis, nõ multum refert, sed bene deuotiorogantis, & offerentis: ideo consulerem eis, qui volunt facere dici missas, vt dicerent sacerdoti: pater dicatis illam, ad quam maiorem habetis deuotionem, vel talem, ad quam ego habeo deuotionem: & valet quo ad liberationem à pœna, ei tantum, pro quo fit: secundum Pet. de pal. supra, Missa, §. 32.

SVBDIACONVS.

Vbdiaconus, supr. Ordo. §. 2. Etas, §. primo.

SVBSANNATIO.

Vbsannatio, supra, Desilio per totum.

SVBSTITVTIO.

Vbstitutio, & successio, quia ad ius ciuile magis pertinent, dimitteatur. Vide, si vis, Silu. verb. hereditas. Tab. ver. substitutio, & successio.

SVPERBIA.

SVPERBIA, secundum quod nominat inordinatum appetitum pro-

prie excellentie, peccatum speciale est: de quo Tho. secunda secundæ. q. 162. a. 1. & 2. & quia superbus extollit se supra id, quod est prefixum secundum Dei regulam, ideo ex suo genere peccatum mortale est: veniale autem ex imperfectione actus, & est grauissimum quia superbus diuinæ regulæ subijci non vult. Contingit autem peccare in hoc quatuor modis distinctis specie. Primo, cum quis bonum à semetipso habere existimat, & non à Deo. Secundò, cum existimat à Deo datum, sed ex proprijs meritis. Tertio, cum se iactat habere quod non habet. Quarto, cum despectis cæteris appetit videri habere quod habet. Quando talis appetitus est secundum rationem deliberatam, mortale est in omnibus speciebus: scæus quando secundum primos motus, vt quando homo laudat se, non tamè propter hoc vult non subijci diuinæ regulæ. Non enim est hic actus perfectus circa appetitum inordinatum propriæ excellentiæ.

CVM quis ita Deo ingratum se exhibet, ac si nõ accepisset omnia à Deo, est in prima specie superbiæ. Cum quis conqueritur de Deo, quod non exaudiat eum, vel det aliqua bona, est in secunda specie. Cum quis existimat se sanctum, liberalem, & huiusmodi, & non est, in tertia specie reperitur.

Cum quis negligit operari, appetere spiritualia, & pro peccatis proprijs satisfacere, est in quarta specie. Contra vero proximum peccatur, si quis proximo crudelis existit, incompatiens, intolerans, iniurians, impatiens, aggreferens se despici, indignans, & huiusmodi. Hæc enim sunt signa, quod homo plus de se ipso sentit, quam de alijs: quia existimat se non debere participem esse pœnarum ipsorum. Et hoc quidem peccatum multum vitam spiritualement impedit, multumque periculosum est: quia difficiliter eradicitur, cum sit spirituale peccatum. Est etiam peccatum generale, cum influentiam quandam in omnia habeat peccata, & ita caput omnium vitiorum rectè dicitur.